



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XLIII. Contra vanam & secularem scientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)

CAPUT XLIII.

*Contra vanam & secularem scientiam.*

I. **F**ili, non te moveant pulchra  
& subtilia hominum dicta. *Non  
est enim regnum Dei in sermone, sed  
in virtute.*

Attende verba mea, quæ corda  
accendunt, & mentes illuminant:  
inducunt conpunctionem, & variam  
ingerunt consolationem.

Numquam ad hoc legas verbum,  
ut doctior, aut sapientior possis vi-  
deri.

Stude mortificationi vitiorum,  
quia hoc amplius tibi proderit, quam  
notitia multarum difficultium quæstio-  
num.

2. Cum multa legeris & cogno-  
veris, ad unum semper oportet re-  
dire principium.

Ego sum, qui doceo hominem  
scientiam: & clariorem intelligen-  
tiam parvulis tribuo, quam ab ho-  
mine possit doceri.

Cui

Cui ego loquor, cito sapiens erit,  
& multum in spiritu proficiet.

Væ eis, qui multa curiosa ab hominibus inquirunt, & de via mihî serviendi parum curant.

Veniet tempus, quando apparebit magister magistrorum Christus, Dominus Angelorum, cunctorum auditurus lectiones, hoc est, singulorum examinaturus conscientias.

Et tunc scrutabitur Jerusalem in lucernis; & manifesta erunt abscondita tenebrarum, tacebuntque argumenta linguarum.

3. Ego sum, qui humilem in puncto elevo mentem; ut plures æternæ veritatis capiat rationes, quam si quis decem annis studuisset in scholis.

Ego doceo sine strepitu verborum, sine confusione opinionum, sine fastu honoris, sine impugnatione argumentorum.

Ego sum, qui doceo terrena despiciere, præsentia fastidire, æterna

quærere, ac sapere: honores fugere, scandala sufferre, omnem spem in me ponere, extra me nil cupere, & super omnia me ardentem amare.

4. Nam quidam amando me intime didicit divina, & loquebatur mirabilia.

Plus profecit in relinquendo omnia: quam in studendo difficilia.

Sed aliis loquor communia, aliis specialia: aliquibus in signis & figuris dulciter appareo, quibusdam vero in multo lumine revelo mysteria.

Una vox librorum, sed non omnes æque informat: quia intus sum doctor veritatis, scrutator cordis, cogitationum intellector, actionum promotor, distribuens singulis, sicut dignum judicavero.

CAPUT XLIV.

*De non attrahendo sibi res exteriores.*

1. Fili, in multis oportet te esse inscium, & æstimare te tamquam

P.

quam